# Realgymnasium

und

# Gymnasium

in

# Hagen.

Achtundzwanzigster Jahrgang.

---

Inhalt:

De auctoritate codicum Propertianorum. Quaestio critica. Von Dr. phil. E. Weber.

1887. Progr.-Nr. 347.

Hagen 1887.
Buchdruckerei von Gustav Butz.

# De auctoritate codicum Propertianorum. Quaestio critica.

Scripsit

**C. Weber, phil. Dr.**

Quamquam ex redintegratis antiquarum litterarum studiis nulla aetate defuerunt, qui in carminibus Propertii, facile principis elegiacorum Romanorum[1]), operam studiumque collocarent, tamen nostro demum saeculo summus ille criticorum et interpretum, Carolus Lachmannus, textum qui dicitur huius poetae ab arbitrio et licentia Italorum et Batavorum ad certam normam artis criticae revocavit. Duos enim e grege librorum manuscriptorum elegit, in quibus fundamentum editionis[2]) suae positum esse voluit, codicem Groninganum et Neapolitanum, quorum alteri G., quia solus aliquot locis verae scripturae vestigium servasse videbatur, priorem locum tribuit, alteri N., quem ab omni parte integrum cognovit, secundum, ita tamen, ut codice G. bonitate vix inferior esset. (praef. p. X). Cuius sententiam cum mira ingenii sagacitate excogitatam tum copiosa doctrina fultam, postquam plerique Propertii studiosi (velut Jacobus, Paldamus, Hertzbergius)[3]) secuti sunt, primus Keilius in diss. 1843 Bonnae scripta ad quaestionem de codicibus recte aestimandis iterum aggressus est et exemplis satis multis collatis etiam codicem G. in libros pravo Italorum studio interpolatos referendum esse demonstravit. Idem cum de reliquorum librorum auctoritate accuratius inquireret, codicem N., olim in Italia scriptum, nunc Guelferbiti asservatum, et unum omnium diligentissime exaratum et ab Italorum correcturis maxime intactum esse comprobavit. Deinde Hauptius, qui in indice lectionum hibernarum Berolini 1854 conscripto[4]) de fide codicum G. et N. uberius disseruit, cum particulas versuum quorundam, quae in codice G. extarent, in codice N. non legi animadvertisset, postquam naturam horum locorum curiosa disputatione patefecit, versuum illa supplementa pro interpolatorum commentis habenda esse cognovit et auctoritatem codicis G. a Keilio labefactatam plane pervertit. Hauptii inventum libentissime arripuit Heimreichius[5]) et in omnibus iis locis, ubi dimidiae versuum partes vel toti versus in codice G. legerentur, quibus codex N. careret, interpolatoris licentiam in poetae verba grassatam esse iuvenili ardore demonstrare studuit (p. 5—13). Cumque ne in singulis quidem lectionibus, id quod iam pridem Jacobus et Keilius[6]) cognovissent, liber G. singularem originem sibi vindicaret, prorsus illum abiciendum et in sola libri N. auctoritate acquiescendum esse professus est (p. 21). Denique totam illam de codicum N. et G. fide quaestionem Grummius[7]) retractavit et in eam partem absolvit, ut in codice G., quod neglegentia et inscitia librariorum foedissime depravatus et Italorum temeritate audacissime interpolatus esset, nihil subsidii ad textum Propertii restituendum inesse probaret et omnibus, qui illius poetae carmina emendare studerent, a sola codicis N. auctoritate,

---

1) Quint. X 1,93 sunt, qui Properlium malint (scil. Tibullo). ex recentioribus Hauptius (opusc. III 206) Gegenständliche Würdigung erkennt den Properz als den grössten der römischen Elegiker an. Baehrensius Proleg. editioni Propertii praefixa. p. XV elegiographorum Romanorum princeps.

2) ed. Lipsiae 1816, iterumque una cum Catullo et Tibullo Berol. 1829.

3) Jacobus ed. Prop. Lipsiae 1827. Paldamus .Halis 1827. Hertzbergius Halis 1843—45.

4) opusc. II 52 sqq.

5) in diss. Bonnae 1863 emissa.

6) Jacobus in adnot. p. 155. Keilius. p. 2 sqq.

7) in programmate Auricensi 1868.

qui nec interpolatorum studio nec librariorum incuria ab ingenua indole deflexus esset, proficiscendum esse demonstraret.

Hac controversia vix diiudicata Baehrensius editione sua Lipsiae 1880 emissa turbas movit maximas, cum fundamenta artis criticae a Lachmanno et iis, qui vestigia eius premebant, iacta everteret et novam codicum suppellectilem substitueret. Quattuor enim libros msc. antea aut incognitos aut neglectos adhibuit eosque in duas familias distribuit, quarum alteram ex codice Vossiano s. XIV et Laurentiano s. XV ineuntis, alteram ex codice Vaticano s. XIV exeuntis et Daventriensi s. XV[1]) constare ipse in praef. p. IV sqq. fusius exponit. Ex his libros F et V correctores passos esse, qui et plurima vitia primae manus sustulerint et lectiones multas alterius familiae in suum exemplar intulerint atque libris deficientibus ab ingenio auxilium requisiverint. Inde librorum interpolatorum initium ortum esse, quorum agmen ducat codex N., saeculo XV exaratum et a stirpe AF derivatum, qui tamen haud paucas scripturas familiae DV receperit. Optimo iure haec Baehrensii de textus subsidiis sententia a sanis et prudentibus criticis impugnata est, ex quibus primo loco Fridericus Leo nominandus est, qui N. codicem solum ab interpolatione integrum et Baehrensianos potius libros plurimis locis commentis Italorum contaminatos esse luculentissime docuit in Museo Rhenano 1880 p. 441 sqq. Nec minus N. codicis scripturas contra novae stirpis auctoritatem defendere studuit Brandtius in diss. Berolini 1880 scripta, qui de I 5,9, I 8,9. I 8,19. aliisque locis copiosius disputavit. Attamen extiterunt, qui putarent illos viros nimio studio codicis N. praestantiae defendendae abreptos severius quam verius iudicium de novo illo apparatu critico Baehrensii tulisse, in quibus est Solbisky, qui in diss. Jenensi 1882 uberrime et doctissime de codicibus Propertianis disseruit, nec non Rossbergius[2]), qui ut Neapolitani bonitatem agnoscit, ita ceteros Baehrensii codices in textu Propertii ad integritatem pristinam redigendo sane respiciendos esse in thesibus de subsidiis criticis Propertii prolatis posuit. Denique Heymannus in diss. Halensi 1883, quae inscribitur quaestiones grammaticae et epigraphicae, (p. 84) libros Baehrensii saepe priscae scribendi rationis documenta exhibere et quamvis in reliquis rebus vitiosiores sint, ad imaginem veteris aretetypi scripturae revocandam summm adiumentum praebere iudicat. Cum igitur adhuc in dubio sit, quantum auctoritatis codicibus illis a Baehrensio in editione sua adhibitis tribuendum sit, non alienum mihi visum est hanc quaestionem denuo pertractare et singulorum codicum erroribus et vitiis accurate examinatis in lucem proferre, quanta unicuique fides sit habenda et quid utilitatis ex iis ad restituendam aretetypi qui vocatur scripturam redundet. Atque commentationem meam ita instituam, ut primum singulos familiarum AF et DV libros perlustrem, deinde ad correctores codicum F et V ($F^2$ et $V^2$) excutiendos transeam, denique Neapolitani lectiones recenseam, unde appariturum puto, quae ratio et inter singulos libros et inter correctores istos et codicem N. intercedat. De nominibus propriis autem, in quae maxime a librariis saevitum esse constat, separatim disputabimus, et quod genera vitiorum saepe a reliquis diversa in eis reperiuntur, et quod hac parte commentationis vitiis gravissimis quasi in unum conspectum collatis maxime comprobatum iri arbitror, num de auctoritate librorum recte iudicatum sit. Sed ea in re ne multus sim taediumque lectoribus moveam, intra fines primi libri me continebo, praesertim cum eadem menda et vitia, quae in primo, in ceteris carminum libris legantur et unius libri errores satis indolem librarii illustrent. Quibus praemissis ad rem ipsam accedamus.

---

[1]) Vossianus A. Laurentianus F. Vaticanus V. Daventriensis D. littera notantur.

[2]) Annales Fleckeiseni 1883. p. 65.

# I.

# De familia AF.[1])

## *1. De codice A.*

Primum igitur de c. A dicendum est, cuius naturam optime ex iis locis perspiciemus, quibus a c. F dissentit. iam quales sint eius errores, ipse consideres.

Verba continua semel seiunxit librarius 17,4[2]) *(omnia que)*, semel transposuit 19,16 *(longe te)*. Insertae sunt singulae litterae: 2,1 t (*vitta* = *vita*), 5,6 c *(thessalica* = *thessalia)*[3]), 8,17 d (*quodcunque* = *quocunque*), 11,4 c *(miscenis* = *misenis)*[3]), 12,12 h (*exhiguo* = *exiguo*), 13,10 n (*exinget* = *exiget*), 16,1 h (*trihumphis* = *triumphis*), 20,9 h (*hora* = *ora*). omissis singulis litteris verba mutilata sunt: 1,18 t (*memini* pro *meminit*), 4,28 d (*quiquam* pro *quidquam*), 6,27 i (*mult* pro *multi*), 7,21 m (*tu* pro *tum*, quod facillime fieri potuit, cum insequens verbum a littera *m* inciperet). 17,9 in fine versus deest vox *querelas*, videl. ex librarii neglegentia, nam in aliis omnibus codicibus extat nec fere corrumpitur. Nonnunquam, id quod huius codicis proprium est, eadem vocabula deinceps repetuntur velut 8,7 *positas*, 8,37 *quamvis*, aliud vitium admixtum est 5,6, ubi *ebibere* ante *et bibere* repetitur, 15,31, ubi *mutetur* in *imitetur* deflexum est. Aliis locis librarius ipse se correxit et plerumque locum emendavit: 9,8 *apposito* (litteris *a* et *p* suppunctis), 9,23 *cuiquam* („ex correctura, ut videtur" Baehrensius ad hunc locum adnotat, nec veri dissimile est, cum *qui (s)* et *cui* passim in libris msc. confundantur cf. III 5,47. 53. 17,1 = B. II 13,47. 53. 23,1.). 17,19 librarius pro *peperissent* reposuit *sepelissent*, 16,6 vocabulum *indignis*, antea in contextu verborum omissum, in fine versus adiunxit nota ubi inserendum sit addita.

Praeterea nonnulla scripturae vitia, quae vulgo in codicibus feruntur, notanda sunt. 1,7 *toto .. annis* pro *toto .. anno.* 1,29 *forte* pro *ferte,* in eodem versu *ferre* pro *ferte* (cf. 1,31 eiusdem codicis lectionem *remanere* pro *remanete* et 1,35 simile vitium codicis F, *vitare* pro *vitate*). 1,30 *semina* pro *femina,* (quocum compara 1,34 *desit* pro *defit* et 12,9 *sumus* pro *fuimus*). 5,27 *cum* pro *tum.* 8,2 *sim* pro *sum.* 8,23 *navitas* pro *nautas* (hic librarii error legibus metricis convincitur, ut 8,44 *sive* in AF legitur pro *seu,* quod metrum postulat). 12,8 *amore* pro *amare.* 12,19 *dissistere* pro *desistere* (frequens est confusio praepositionum *de* et *di (s)*. cave tamen *discedere* cum DV reponas, quod interpolationem prodit). 17,19 *demum* pro *meum.* 18,15 *fluor* pro *furor.* 20,29 *ali* pro *ala.*

Ex his apparet codicem A admodum raris pro numero carminum nec longius ab integritate scripturae deflexis vitiis deformari. interpolatio autem manifesta in hac parte codicis A nulla apparet. iam de orthographia quae dicitur pauca addam, quippe quae proprium in quibusdam rebus sibi vindicet locum. media littera pro tenui bis usurpatur in vocabulo *capud* 1,4 et 3,8, quae litterarum permutatio saepissime in particulis *sed (t)* et *haud (t)* occurrit nec a N. propriis prorsus aliena est: 18,20 *Argadio* A. 13,22 *Denarius* F. littera *m* imprimis ante *p* in vocabulis cum praefixo *in* compositis (velut *impositis* 1,4, *impresso* 3,12, *improbe* 3,39[4]), *impune* 4,17, *immemor* 10,8, *imprudenti* 20,3) et simili modo *p* post *m* in simplicibus vocibus velut *sompnus* 3,3 et 16,22 legitur. de praepositione cum suo verbo coniuncta haec subicio exempla: 2,9 *summittat,* 22,9 *subposito,* 6,24 *adferat,* 10,2 *adfueram,* 4,19 *comittet,* ubi lineola, quae geminationem indicat, omissa est. *c* pro *t* sescenties ponitur, in uno carmine quinquies 16,2. 16. 37. 39. 43. occurrit. scriptura *h* post *t* et *c* vel *i* et *y* tam dubia et tam nullis legibus astricta est, ut de ea referre supersedeam. Sed non alienum videtur compendia quaedam, quibus librarius codicis A usus est, commemorare, quia illa librario codicis F, sive quod in fonte communi invenit, sive quod ipsum codicem A inspexit, ante oculos versata esse et saepius causam erroris praebuisse verisimile est. 13,13 *auge* = *augure,* 15,7 *h* = *haec,* 15,24 *q* = *quoque,* 20,21 *houm* = *heroum,* alia id genus.

Alterius manus pauca vestigia deprehenduntur; atque uno loco B. ipse disertis verbis alterius manus mentionem facit (17,9), aliis locis correctura vitii suspicionem movet. nihil dico de litteris suppunctis (5,31. 9,8. 19,21. 20,39) vel de verbo *indignis* 16,9 apposito, quae emendatio prioris manus videtur esse,

---

[1]) quaecunque de AF et DV dicentur, notis criticis Baehrensii (= B) debentur. (c = codex, f = familia.)

[2]) numeris utor editionis Muellerianae 1885, qui primo quidem in libro vix distant a numeris editionis Baehrensianae.

[3]) de nominibus propriis pauca, quae ad orthographiam spectant, praeripere mihi liceat.

[4]) contra *inprobus* 1,6 extat.

sed rasurae sive apertae (4,10 *e≡at,* 13,10 *v≡ices*) sive dubiae (9,23 *cuiquam,* 15,30 *vices*) sane correctoris manum produnt.

Quamquam autem codicem A satis diligenter scriptum esse concedo, tamen vix quidquam ad sinceram scripturam restituendam valere censeo, nisi iis locis, ubi cum codice F conspiret; nam praeter pauca, quae ad genus orthographicum spectant, peculiaria habet nulla.

### 2. *De fide codicis F.*

Jam transeamus ad alteram huius familiae propaginem perlustrandam, cod. F, qui quantum distet a diligentia eius, qui c. A. scripsit, in conspectum dabimus. ac primum eos ad eandem familiam pertinere, non solum e consensu scripturae, sed etiam ex vitiorum genere in dissensione lectionis perspicitur: 1,7 *toto..anno* F, *toto..annis* A, 2,1 *victa* F, *vitta* A. 2,23 *amictes* F, *amittes* A, 5,6 *elibere* in F, *ebibere* in A repetitur. 13,10 *voces* F, *v≡ices* A (o in rasura). 13,13 *augere* F, *auge* A. 15,7 *hec ehoyis* F, (*hec* postea a prima vel secunda manu suppunctum est), *h chois* A. 15,24 *qud'*F (correxit F²mg *q),* *q* A (=quoque). 15,30 *vias* F, *vices* A, „fortasse ex correctura" addit B[1]). 20,21 *hominum* F, *houm* A. ad eandem igitur familiam illos pertinere apparet. sed F multo inferiorem esse codice A multitudine vitiorum, quibus c. F contaminatus est, demonstrabitur, quae cum fere similia eis sint, quae in A extent, eodem ordine excutere liceat. transposita sunt ultima verba hemistichiorum 8,36 *equis* et *opes,* perverso ordine collocantur 16,35 *causa maxima,* quem errorem librario casu excidisse hiante metro convincitur. idem cadit in 19,3 *mihi careat,* quae verba ipsa quoque locum mutaverunt. Praeterea distinctio verborum aliena a codice A extat 11,20:

*(Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli)*
*Attulerint. nostri culpa timoris erit.* F.
*Attulerint nostri. culpa timoris erit.* A.

atque codicis A distinctio hoc loco mihi praeferenda videtur. nam *nostri* facile ex sententiarum nexu suppletur ad *timoris,* in hoc autem verbo, non in pronomine *nostri,* vim totius sententiae positam esse argumentum carminis clamat.

Litteras vitiose inculcatas invenies: 1,31 *facilis*[2]), 7,9 *conterritur,* 14,20 *hostrino* (contra 3,6 *erboso,* 15,24 *ystoria*), 16,26 *respondens* pro *respondes* (ut 21,3 DV *torquens* pro *torques*), 11,8 *substulit* (contra 2,9 *summittat*), 14,23 *non nulla* pro *non ulla,* 16,48 *ecterna* pro *eterna*[3]), 20,28 *suspina* pro *supina.* etiam syllaba neglegentia librarii intruditur 7,18 in voce *flebilis* pro *flebis.* sed incuria huius librarii vel imprimis e defectu litterarum singularum et ex lacunis cognoscitur. huc pertinent singulis litteris omissis: 6,34 *acepti* (accepti). 7,19 *molem* (mollem). 13,15 *vintum* (vinctum), 15,38 *amisse* (admisse), 16,44 *ocultis* (occultis), (cf. 18,3 *ocultos* = occultos), 17,20 *ultius* (ultimus), 18,5 *me* (mea), 19,13 *corus* (chorus), 20,35 *pendebat* (pendebant), 20,46 *coros* (choros), 21,5 *possin* (possint). syllabae desiderantur non solum in initio verbi, sed etiam medio in verbo aliis plerumque vitiis adiunctis: 8,33 *quiescere* (requiescere), 17,28 *thoribus* (lit(h)oribus), 8,13 *subdire* (subsidere), 10,8 *meis* (mediis). absorbentur vocabula cum monosyllaba, tum plurium syllabarum: *et* 4,13, cuius defectum eadem manus ita compensavit, ut *que* post *ingenuus* supra lineam adderet metrumque hoc modo restitueret. 8,29 excidit *cupidus,* 9,15 *copia,* 10,7 *mihi,* 13,13 *ego.* lacunae extant trium litterarum 5,3 (meos), octo litterarum 9,11 (Mimnermi)[4]), sex litterarum 17,19 (meum); nec non requiruntur versus 19,8—11, 15—17, singularis versus 17,27. illud quoque hic notandum est, quod titulus carminis sexti decimi *verba ianuae conquerentis,* qui est in codice A et altera familia DV, in F solo vacat. correcturae (incertum, utrum primae an secundae manus, cum de ea re nihil adnotet B.) in his locis extant: 2,8 *nudus* (ex *nullus*), 5,6 *elibere* (suppunctum), 6,27 *multi* (ex *multum*), 7,13 *neglectus* (ex *neclectus?*), 11,30 *crimen* (ex *crimina*), 12,8 *contigit* (ex *contingit, n* alterum suppunctum), 15,7 *ehoyis* (ex *hec ehoyis, hec* suppunctum), 20,39 *decerpens* (ex *descerpens, s* suppunctum).[5])

---

[1]) ce eadem ratione in *a* conglutinatur, qua (16,12 F) *cl* in *d,* (22,10 AF) *ti* in *u* abiit. huc pertinet etiam confusio verborum *tibi* et *ubi* IV 9,19. (B. III 10,19).

[2]) accommodat hoc librarius ad vocem *deus,* cum ad vocem *aure* applicandum sit, quo vitio saepissime libri msc. foedantur.

[3]) similiter idem IV 7,37 (B. III 8,37) *rectia* pro *retia,* IV 7,38 (B. III 8,38) *ecternum* pro *eternum.*

[4]) Quamquam de N. propriis postea seorsum disputabimus, tamen hic locus ad eam quoque partem pertinet, in qua de lacunis in universum agitur.

[5]) quam facile *s* ante *c* se insinuet, ipsius Cynthiae nomen docet, quod bis a librario codicis A. scriptum est *scynthi(y)a* 5,31. 19,21.

Luculenter, credo, ea exempla, quae attuli, qualis huius libri indoles sit, indicant; nempe produnt librarium neglegentissimum. atque confirmatur haec sententia farragine ceterorum vitiorum, quae aut singulis litteris mutatis, aut ductibus litterarum aliter coniunctis, aut oculis scribae aberrantibus nata sunt. ex quibus ea, quae rarius in aliis membranis occurrunt, primo loco notamus.

Ac primum librarius ter *ct* ponit, ubi in A *tt* legitur (2,1. 2,23. 4,19) et hanc scripturam ei in deliciis esse docent: 7,18 *ecterno* pro *eterno,* 16,48 *ecterna* pro *alterna,* 10,2 *conctius* pro *conscius.* e contrario *facta* in *fassa* se convertit 18,26. mirum in modum 3,8 *manibus* in *incubus* transformatum est, quod ex compendio ~ male intellecto explicandum videtur. nam scriptum fuisse suspicor *mãibus,* cuius litteras *ai* in *cu* abiisse verisimile est, ut 13,12 ex *amicus* simili errore *cunicus* prodiit. eadem littera *c* cum *l* in *d* conglutinatur 16,12 *sedi* pro *secli.*[1]) De vocabulo *hominum* ex *houm,* quod A exhibet et quod in communi exemplari fuisse suspicor, 20,21 errore compendii nato supra dictum est. ter oculorum deflexu vitium originem duxisse iudico videl. 8,42 *mera* pro *rara* librario elapsum est, quod ad sequens vocabulum *mea* prospexit; 11,9 *temis* pro *remis,* quod ad praecedens *te* respexit; denique 9,5 *puelle* pro *columbe,* quod oculos ad finem prioris hexametri, qui in hoc vocabulum exit, deflexit. litterae *s (ss)* et *x* confunduntur: 5,6 *texalica* (= tessalica), 9,3 *supplesque* (= supplexque), 13,21 *missus* (= mixtus), 14,22 *testilibus* (= textilibus), 15,5 *externos* (= hesternos).

Jam ad gregem vulgarium errorum accedamus: 1,36 *nec* pro *neque* fortasse licentiae librarii tribuendum est. 5,20 *adire* (abire)[2]), 6,24 *vota* (nota), 6,31 *tudit* (tendit), 7,9 *et* (hec), 8,31 *caripsima* (carissima), 9,19 *tigies* (tigres), 10,20 *eget* (egit), 12,3 *deisa* (divisa), 13,9 *illaris* (illarum), 13,10 *voces* (vices), 13,22 *possit* (posset), 13,34 *lumine* (= limine, ut 4,22 et 16,3 AF), 17,2 *alcinias* (alcinoas), 18,9 *quam te* (quae te), 18,16 *sim* (sint), 19,21 *contenta* (contento), 20,9 *spetiabere* (spatiabere), 20,38 *purpureas* (purpureis).

Huc accedit, quod librarius codicis F multas interpolationes[3]) in ordinem verborum recepit: 11,6 *mõstrat* (restat), 11,11 *terreat* (teneat), 12,19 *minimeque* (mi neque), 13,22 *possit* (pressit), 15,9 *morte* (mota), 15,35 *vitabas* (iurabas), 17,13 *bella* (vela), 17,19 *peperissent* (sepelissent), 18,17 *lingua* (signa), 18,31 *tibi* (mihi), 19,4 *obsequiis* (exequiis), 20,8 *traxerit* (tinxerit). ex his altera manus (F[2]) quinque locos correxit (11,6. 11,11. 12,19. 13,22. 15,5). sex intactos reliquit, unum infelici successu temptavit (17,19). De orthographia quae dicenda sunt, brevissime absolvam: *t* et *c* permiscentur 3,28 *auspitio,* 6,20 *sotiis,* 17,28 *sotio; nt* pro *mpt* invenitur 15,11 *incontis* (incomptis), 19,21 *contenta* (contempta[o]); *cq* pro *dq* 11,26 *quicquid,* ubi A compendio usus *Qiquid* scribit.

Quae omnia si reputaverimus, non possumus non fateri codicem F, et neglegentissime scriptum et plurimis interpolationibus deformatum, longe inferiorem esse libro A et hoc iudicium confirmabitur, si utriusque lectiones inter se comparabimus; nam quattuor locis exceptis scriptura codicis A passim scripturae codicis F praeferenda est. Praestat autem scriptura codicis F his locis: 12,19 *desistere* (dissistere A), 8,23 *nautas* (navitas A), 15,7 *ehoyis* (h chois A), 20,39 *decerpens* (descerpens A). ex illis ea emendatio, quam primam collocavi, omnibus omnium librorum msc. lectionibus antecellit et sola veram Propertii manum refert; secunda metrum propter formam solutam *navita* in A turbatum restituit; tertia et quarta, quia idem vitium atque A prima manu ostendunt, vix in censum veniunt, praesertim cum non exploratum habeam, ab utra manu correctura profecta sit. At praeter illos locos, quos modo laudavi, codicis F lectionibus iis locis, ubi cum A non conspiret, nulla fides adiungenda est.

---

[1]) Simili modo III 23,15 Groningani *damnatum* ortum est, quod diu editores fefellit pro *clamantis*; et primum gradum corruptelae ostendit codex Vaticanus ap. Baehr. *damnatis,* unde *damnatum* interpolator quidam elicuit; codicum meliorum scripturam *clamantis* recte, ni fallor, defendit Heimreichius p. 15 sqq.

[2]) Idem vitium *(adire* pro *abire)* in N et omnibus Baehrensii codicibus cernitur 13,8 *incipis et primo lapsus adire gradu* quod iam nemo post Keilii disputationem (p. 7) defendet; huc etiam referendum est 13,28, ubi *adduci* in AF legitur, cum f. DV *abduci* praebeat.

[3]) interpolationes eas correcturas intellego, quibus scriba consulto verba in codicibus tradita mutavit, sive ea ad elegantioris sermonis normas direxit, vitium in tradita scriptura inesse ratus, sive ex apicibus litterarum non bene perspectarum novum aliquod verbum elicuit, quamvis a sensu et re metrica alienum. hoc tamen levius interpolationis genus iudico, et est, ubi dubitare possis, utrum interpolationem an lapsum librarii statuas, illud in gravissimis corruptelis semper habitum est.

### 3. De consensu codicum AF.

Quoniam singuli codices A et F nullum fere adiumentum ad textum Propertii restituendum praebent, iam videamus, quid de consensu eorum iudicandum sit, in quo memoriam vetusti illius fontis, ex quo uterque fluxit, sincerius servatam esse consentaneum est. Atque ut a levioribus vitiis ordiamur, perperam seiunxit AF verba tradita: 8,1 *tu ne* (tune), 13,16 *in lectis* (iniectis) et ordinem transpositis verbis bis mutavit: 2,24 *satis ampla,* 18,7 *numerabar inter* (amantes). causam transpositionis librario verborum collocationem a pedestri oratione alienam fuisse arbitror, sed metrum labans facile hanc neglegentiam coarguit. aliud vitiorum genus singulis litteris aut omissis aut additis cernitur. atque aucta sunt tradita verba: 3,6 *conscidit* (concidit), 6,21 *nunquam* (unquam), 8,15 *hora* (ora), 9,32 *necdum* (nedum), 10,29 *his* (is), 3,12 et 14,20 *thoro* (toro), 16,23 *medice* (medie), 20,39 *descerpens* (decerpens). una syllaba inculcatur (metro refragante): 10,25 *irritatura* (irritata). detracta est littera: 1,9 *nullo* (nullos), 2,7 *tua est* (tuae est), 2,23 *aquirere* (acquirere), 2,29 *ne* (nec), 4,22 *differt* (differet), 11,12 *facili* (facilis), 13,36 *quocunque* (quodcunque), 16,30 *calibe* (chalybe), 20,37 *ilia* (lilia). sed latius serpsit hoc vitiorum genus; syllabam oppressit librarius: 19,22 *abstrat* (abstrahat), 20,3 *currit* (occurrit). duobus locis verbum excidit: 8,4 *me,* 14,19 *limen;* quin etiam totus versus nullo intervallo relicto deest: 6,15 *ut mihi deducta faciat convicia puppi,* qui in N. graviter corruptus legitur et nescio an in communi illo fonte difficilis ad legendum fuerit. ex oculorum deflexu explicandum est: 2,26 *una* pro *culta,* quia praecedit in initio eiusdem versus *uni,* atque 16,47 *et* pro *nunc* ex sequenti *et* natum esse metrum claudicans persuadet. alia vitia haec sunt: 3,33 *compositis ocellis* (compositos ocellos), 4,9 *fuerat* (fuerit), 5,7 *magis* (vagis), 5,31 *quod* (quid), 6,1 *tunc* (nunc), 6,5 *memorantur* (remorantur), 6,12 *amore* (amare), 6,19 *securas* (secures), 7,11 *laudant* (laudent), 8,20 *placidos* (placidis), 8,23 *deficiat* (deficiet), 8,27 *erat* (erit), 8,44 *sive* (seu), [1]) 9,28 *cedit* (cedat), 9,31 *possint* (possunt), 10,10 *alterius* (alternis), 10,19 *quacunque* (quaecunque), 11,15 *amota* (amoto), 12,9 *non* (num),[2]) 13,8 *lapsis* (lapsus), 13,16 *in lectis* (iniectis), 13,28 *adduci* (abduci), 13,32 *amore* (amare), 14,3. 4 et 16,18 *iam* (tam), 14,4 *finibus* (funibus), 14,11 *veniant* (veniunt), 14,19 *arabtum* (arabium), 15,8 *et* (ut), 15,9 *et* (at), 15,30 *inversis* (inversas), 15,35 *quod* (quid), 16,3 *lumina* (limina), 16,9 *possim* (possum), 18,31 *resonant* (resonent), 20,7 *hunc* (huic), 20,43 *flumine* (flumina), 21,6 *ruis* (tuis), 22,7 *et* (tu), 22,10 *ferulis* (fertilis).

Sed praeter haec menda, quae negligentiae potius librariorum tribuenda sunt, satis multi loci inveniuntur, qui apertam interpolationem prae se ferant: 1,1 *fecit* (cepit), 1,13 *arbore* (vulnere), 1,22 *placeat* (palleat), 2,23 *amittes* (amantes), 2,29 *dictis* (verbis), 6,25 *iam* (quem), 7,7 *nec tamen* (nec tantum), 8,1 *culpa* (cura), 8,6 *mane* (nave), 8,7 *ruinas* (pruinas), 8,38 *amara* (avara), 8,45 *summos* (certos),[3]) 12,10 *divitis* (dividit), 13,5 *forma* (fama), 13,7 *queritis* (perditus), 16,27 *iacula* (vocula), 20,1 *nec* (hoc), 20,13 *turbida* (frigida). Etiam personarum mutatio saepius interpolatori debetur, cum Itali frequentissime facili hac correctura locos dubios sanare studerent, velut 15,33 pro *quam tibi* correxerunt *quam mihi.* idem quoque de 7,17 *longe castra sibi* (pro tibi) et 18,22 *scribitur et nostris Cynthia corticibus* (pro vestris) suspicarer, nisi sensus locorum tam perspicuus esset, ut consulto pronomen a scriba mutatum esse persuadere mihi non possim. sed de nonnullis, quae in interpolationibus collocavi, exemplis fusiore disputatione opus est, ut iudicium meum viris doctis probem. ac primum de 8,7 dicendum est, qui versus in codicibus AF consentiente Neapolitano sic legitur:

*Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas?*

cum familia DV *pruinas* exhibeat. iam lectione *ruinas* summas interpretandi difficultates oriri peritis notum est. atque ut Brandtii (p. 6) miram, ne dicam absurdam defensionem traditae scripturae silentio praetermittam, primum *ruinas* nivem de caelo cadentem proprie dici posse nego; deinde *positas,* etiamsi *poni* idem valere ac *de caelo delabi* concedam, ferri nequit, quia pro *positas* participio praesentis opus est. cardo sententiae autem vertitur in interpretatione verbi *fulcire,* quod ii qui *ruinas* retinent, idem esse volunt, atque *subicere pedes,* a primaria notione longe abhorrentes. nam fulcitur aliquid, quod pondere suo in terram trahitur, nives autem de caelo delabentes pedibus fulcire ridiculum est. Omnes

---

[1]) ad idem genus pertinet ac *navitas* pro *nautas* 8,23 in codice A.

[2]) *non, num, nunc* passim in libris msc. confundi inter omnes constat, cf. 2,25 *nunc* ex *non* corr. N[1]. IV 3,42—43 N quater *non* pro *num* scripsit.

[3]) „*summos*" ineptum sensum praebet et ex „*summa*" praecedentis hexametri oculis librarii aberrantibus natum videtur.

difficultates optime expediuntur, si errorem librari contortis et longe petitis explicationibus tandem defendere supersedemus et *pruinas* genuinam scripturam agnoscimus. ad hoc participium perfecti *positas* eleganter quadrat, nec ad commenta Italorum pro *fulcire* alia velut *sulcare, superare, super ire* scribentium confugere cogimur, cum iam *fulcire* suam explicationem habeat; verissime enim Hemsterhusius (apud Burmannump. 84 et 927) *fulcire pruinas* interpretatur *in iacente nive pedibus niti,* quod linguae graecae usu simili ἐρείδειν γῆν ποσίν firmatur.

Ex eis exemplis, quae proposui, satis puto intellegi, qualis sit indoles classis AF quaeque natura illius antiqui libri fuerit, ad quam tamquam parentem haec familia recedit; nam non solum plurimis scripturae vitiis exemplar illud inquinatum fuisse, sed etiam haud paucis locis Italorum interpolationes expertum esse consensu codicum AF evincitur, nisi forte, quod vix credibile est, duos diversos librarios ad eadem commenta totiens casu incidisse putamus. cum vero naturam vitiorum in AF extantium saepe eandem esse atque in Neapolitano viros doctos non effugeret, etiam codicem N ad eandem originem revocaverunt. nec haec res eos fefellit; sed qualis sit illa similitudo et quid inde ad perspiciendam rationem, quae intercedat inter N et AF, colligi possit, pluribus disserendum videtur. Atque N cum AF consentit (levioribus scripturae discrepantiis non respectis) 1,7[1]) 2,7. 12. 19. 29. 3,31. 43. 4,23. 5,31. 6,12. 17. 7,25. 8,1. 7. 19. 26. 27. 44. 9,15. 27. 31. 10,7. 11,15. 12,9. 13,9. 13. 16. 25. 28. 36. 14,20. 16,18. 17,6. 26. 18,20. 29. 19,22. 20,3. 7. 11. 45.

N cum A conspirat: 1,10. 12. 14. 34. 3,25. 27. 34. 38. 6,14. 24. 7,2. 23. 8,17. 15,5. 24. 16,22. 19,11. 17. 22,9.
N cum F concordat: 11,20. 26. 13,18. 16,44. 18,3.[2])

Inde apparere puto, quam arte N et AF cohaereant; vix ullum enim carmen est, ubi non aliquo modo consentiant. integerrime igitur AF et N lectiones stirpis illius vetustae, quam apographon archetypi esse statuunt, servaverunt; dissentientium autem codicum A propius ad communem illum parentem accedit quam F, qui saepius cum N discrepat et inde a II 1,64, ubi societate libri A caret, suum locum secundum librum N vindicat. Ut autem accedente consensu libri N classis AF multum valet ad firmandam archetypi lectionem et ad refellendas alterius classis DV interpolationes, ita ubi aut alter aut ambo a Neapolitano recedunt et cum DV sive altero eius familiae codice consentiunt, auctoritas classis AF, nisi de re orthographica agitur, valde dubia evadit. quod ut eo facilius diiudicari possit, eos locos, ubi consensus trium vel duorum codicum non ad eandem classem spectantium occurrit, apponam.

AF cum D facit: 3,45 *impulit,* 8,22 *tuta,* 11,12 *limpha,* 22,7 *et* pro *tu.*
AF cum V 2,15 *phebe,* 20,4 *minius.*
VD cum A 1,4 *imposuit,* 3,12 *impresso,* 3,39 *improbe,* 4,17 *impune,* 8,9 *hyberne,* 19,8 *immemor.*
VD cum F 3,38 *hei,* 5,29 *sotio,* 6,20 *sotiis,* 6,24 *afferat,* 10,2 *affueram,* 17,28 *sotio.*

duorum librorum ad diversas classes spectantium consensum deprehendimus:

AV 1,27 *paciemur,* 8,43 *sydera,* 18,10 *tristicie.*
AD 15,20 *hospicio,* 15,42 *blandiciis,* 17,4 *omnia que,* 18,3 *impune.*
FV 1,12 *irsutas,* 13,34 *lumine.*
FD 19,23 *invitas,* (lapsu scribae manifesto, qui *invitas* cum *lacrimas* coniungit, cum ad *te,* quod est in versu 21, revocandum et scribendum sit *invitam*). 11,4 *mi(y)steriis,* 15,5 *externos.*

Verum duo loci uberiorem disputationem desiderant, cum ceteri omnes fere ad res orthographicas nullius momenti spectent. ac versum 8,22 NF²V (V²) hoc modo exhibent:

„*quin ego, vita, tuo limine verba querar,*“

cum AFD *quin ego tuta* praebeant. ac primum *tuta* sensui minime convenire patet, nam nemo adhuc explicavit, quid *tuta verba queri* significet; nec iuvant emendationes *sueta* Dousae (apud Burmannum p. 89), *fida* Lachmanni (quam Hertzbergius in comment. p. 31 iure impugnat), *multa* Keilii (p. 29). deinde *tuta* ex *vita* facillime corrumpi potuisse, is concedet, qui recordabitur *fertilis* 22,10 in *ferulis* depravatum esse (tu = ui ut ti = u). iam vero in ipso verbo *vita* offendebant critici, quia vox blanda, quae est *vita,* de Cynthia, quam poeta paulo ante *periuram* et in initio carminis *dementem* appellat, dici posse negabant. suffragarer eorum sententiae, si eundem poetae animum in altera parte carminis vigentem viderem atque in priore

[1]) „*toto . . annis*“, quod A habet, in eis mendis numero, quae in hac causa neglegenda esse censeo.
[2]) haec exempla consensu nominum quae vocantur propriorum augentur, quem hic addere liceat: AFN 2,3. 20. 4,6. 6,32. 8,20. 11,8. 13,29. 30. 14,1. 15,15. 16,34. 18,2. 20,32. AN 3,9. 13,21. 15,18. FN 18,20.

parte. sed cum inde a v. 17 ab expostulatione ad molliores querelas deflectat et id potissimum agat, ut blandis amoris indiciis animum puellae sibi reconciliet, mutato affectui poetae etiam mutatam appellationis formam aptam esse iudico. Alter locus legitur 22,7:

„*tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,*“

ubi in AFD *et proiecta* legitur. atqui *et* nullum sensum praebet nec Baehrensius nisi transponendis versuum septimi et octavi initiis illud *et* retineri posse arbitratur; sed nihil assequitur, immo vox *tu* anaphora insequentis versus stabilitur. *et* autem ex librarii errore natum esse veri simillimum est, cum vox *tu (ut)* variis modis a librariis deformetur (*et, at, aut, hec,* etc.).

Vides quam nihil Baehrensii codices, ex quibus ille archetypum refingit, ipsi per se valeant.

---

## II.

## De familia DV.

### *1. de libro V.*

Facilius quae fides familiae DV tribuenda sit, diiudicari potest, cum et pauciora notaverit Baehrensius et artius inter se cohaereant codices V et D, quam alterius classis libri A et F. ac primum quid inter V et D in ea parte qua dissentiunt, intersit, paucis consideremus. Codex V, a quo, quia bonitate antecellit, quaestionem exordimur, semel ordinem traditum turbavit 1,5 *castas docuit,* metro quidem non repugnante, sed incertum qua de causa, nisi forte quis suspicatur consonantiam duarum hexametri partium, quam Propertius in pentametro amasse, in hexametro non fugisse carmina ubivis docent, librario ita placuisse, ut eam hoc loco facili negotio restitueret. verba continua eodem modo disiuncta sunt atque in AF his locis: 2,12 *in dociles,* 9,32 *ne dum,* 20,16 *in domito.* ipse scriba mendum correctura sustulit 1,30 *novit,* 10,14 *quidam,* litteris *r* et *d* supra lineam additis *(=norit, quiddam),* rasura verum restituit: 2,1 *vi≡ta,* 3,27 *quotie≡s,* 3,32 *moraturi≡s.* compendium nisi semel nunquam adhibuit 16,9 *dne* = *dominae.* rarissime prae ceteris libris msc. littera supprimitur: 7,1 *um* pro *dum,* in initio carminis rubricatoris culpa ortum, 17,5 *qin* pro *quin,* 18,1 *tacitura* pro *taciturna;* syllaba excidit 16,35 *doris* pro *doloris.* idem dicendum est de litteris non suo loco insertis: 16,29 *siccano* (sicano), 18,14 *sceva* (seva), 19,12 *fatti* (fati). paucis locis alia leviora vitia oculos offendunt: 3,12 *cogor* (conor), 9,33 *fateri* (fatere), 13,34 *lumine* (limine), 20,10 *vagi* (vago). in rebus orthographicis autem non constat sibi librarius, modo *c* (1,10 *seviciam,* 1,27 *paciemur,* 18,10 *tristici(a)e*), modo *t* (1,19 *fallatia,* 17,28 *sotio*) ponens, hic *n* (5,32 et 18,3 *inpune*), illic *m* in eodem vocabulo 4,17 adhibens, nunc *h* littera addita, quod fere fit, nunc dempta (1,12 *irsutas,* 15,5 *esternos*). *e* caudatum (=ae) in deliciis habet: 1,10. 16,9. 18,14, cum et in N et in F nonnisi semel et id in N. propriis legatur (N 20,6 *hile,* $F^2$ 20,31 *orithie*)[1]), sed haec minoris momenti sunt et optimum de hoc libro iudicium ferremus, nisi idem a prima manu aliquot interpolationibus gravissimis contaminatus esset: 1,7 *totis . . annis,* 16,8 *tenere* (iacere).

### *2. de libro D.*

De altera huius classis propagine, codice D, haec adnotanda sunt. verba cohaerentia discinduntur 9,32 *nec dum* (nedum), 15,12 *sed erat* (sederat), 17,4 *omnia que* (omniaque); desunt ultimae litterae: 11,25 *se* pro *seu,* 21,5 *si* pro *sic.* alienae litterae deprehenduntur: 2,20 *advecta* pro *avecta,* 11,17 *est* pro *es,* 22,8 *tum* pro *tu.* praeterea lapsus est librarius: 3,6 *considit* (concidit), 6,1 *tunc* (nunc), 19,23 *invitas* (invitam), 20,22 *teget* (tegit), 22,7 *et* (cum AF contra $NF^2$, qui *tu* exhibent). sed eadem temeritate hunc librum ipsa prima manu interpolatum esse haec exempla testantur: 7,1 *cum* pro *dum,* 8,45 *somnus* pro *summos,* quod AF et ipsi interpolati praebent, 15,5 *externos* pro *hesternos.* de orthographia quae vocatur nihil addendum est, nisi quod *e* et *ae, c* et *t, c* et *ch* passim consuetudine librariorum permiscentur.

Quodsi codicibus D et V inter se collatis quaerimus, uter bonitate antecedat, facile V superiorem esse his exemplis comprobabitur. 2,20 V *avecta,* D *advecta.* 3,6 V *concidit,* D *considit.* 6,1 V *nunc,* D *tunc.*

---

[1]) in ceteris libris N saepius *e* caudatum adhibet.

7,1 V . . . *um,* D *cum.* 8,45 V *certos,* D *somnus.* 9,32 V *ne dum,* D *nec dum.* 15,5 V *esternos,* D *externos.* 19,23 V *invitam,* D *invitas.* 20,22 V *tegit,* D *teget.* 21,5 V *sic,* D *si.* 22,7 V *tu,* D *et.* quibus omnibus locis lectio codicis D postponenda est lectioni codicis V.

Atque ut summam faciamus ex iis, quae adhuc de dissensu f. DV disputavimus, cum nihil fere in iis insit, quod non itidem vel melius in N legatur, idem de iis atque de AF dissentientibus dicendum est, scil. codicum DV discordiam nihil valere ad Propertii textum qui dicitur restituendum.

### *3. De consensu librorum VD.*

Pluribus de consensu librorum VD (hoc enim ordine eos in posterum collocabo) disserendum est, et quia de hoc B. plura in notis suis protulit, et quia ex eius vitiis cognosci potest, qualis indoles alterius exemplaris fuerit, unde VD originem traxerunt. ac singula considerantes eodem ordine quo antea progrediamur. verborum conexum bis librarius solvit 11,1 et 6 *et quid(s)* pro *ecquid(s),* ubi confusio litterarum *t* et *c* in libris msc. solita accedit; transpositiones occurrunt: 6,25 *voluit semper,* 20,11 *cupidas semper,* quae verba metricis legibus non violatis fortasse eo consilio mutata sunt, ut ultima syllaba vocabuli *semper* a caesura et ictu versus removeretur. litterae perperam insertae quater inveniuntur: 11,17 *est* pro *es,* 13,33 *tum vero* pro *tu vero,* 18,18 *non nulla* pro *non ulla,* 21,3 *torquens* pro *torques.* verba omissis litteris singulis truncata extant: 10,25 *iritata* (īritata = inritata vel irritata), 12,4 *vento* pro *veneto,* quod dubito an interpolatio habenda sit, 19,13 *veniat* pro *veniant,* 20,36 *rosida* pro *roscida.* alia vitia indaganti mihi oblata sunt haec: 3,31 *percurrens* (praecurrens[1]). similiter praepositio mutatur: 4,22 *deferet* (differet), 8,19 *provecta* (praevecta), 9,27 *subducere* (seducere). 5,4 et 18 *nosce* (nosse), ex quo 9,20 interpolatio noscere vincla explicationem habet. 6,17 *dedita* (debita), 6,32 *cingit* (tingit), item 20,8 *cinxerit* (tinxerit), 9,15 *quod* (quid), contra 12,2 *quid* (quod). 12,8 *possit* (posset), 12,17 *colores* (calores)[2]), 13,9 *nec* (hec), item *nunc* (hunc) 20,7. 14,6 *quantus* (quantis), 15,11 *multis* (multos), 15,36 *exciderint* (exciderent), 17,2 *alcy(i)noas* (alcionas), transpositis litteris *n* et *o,* id quod persaepe in N. propriis usu venit, hic autem eo magis excusatur, quod N. proprium Alcinous 14,24 praecedit. 17,6 *increpet* (increpat)[3]), 18,12 *firmosos* (formosos), 20,51 *monitis* (monitus). orthographia quae dicitur classis VD ex his exemplis perspicitur: 7,26 *foenore,* 4,21 omnis (omnes), 10,7 *labentis* (labentes); *mp* 3,12 *impresso,* 3,39 *improbe,* 4,17 *impune,* 16,42 *impressis;* eodem pertinet 19,8 *immemor,* contra *nt* pro *mpt* 3,15 *tentare,* 4,25 *tentatur; h* in *hei* 3,38 et semper in *ah* 5,13. 6,12. 11,30. 15,27. 17,13. 18,21. 20,32. semel *harena* 17,8, at 8,11 et 8,15 bis *arena; 6,24 afferat,* 10,2 *affueram,* 11,26 *quidquid,* 11,28 *dissidium* pro *discidium.*[4]) *c* pro *t* 5,29. 6,20. 9,21. 12,18. et prisca forma *quoius* pro *cuius* 20,45.

Jam in iis, quae attuli, stirps VD nihil fere distat a familia AF. sed maiorem fidem huic classi illae lectiones conciliant, quibus sola contra AFN genuinam archetypi scripturam expressisse videtur. 8,7 *pruinas* (ceteri *ruinas),* 8,44 *seu* (sive), 12,9 *num* (non), 13,16 *iniectis* (in lectis), 13,28 *abduci* (adduci), 14,3 et 4. *tam* (iam). 15,7 *eois* (hec(et)chois), 16,18 *tam* (iam), 20,1 *hoc* accedente consensu codicis N *(nec* AF).

Multum vero de auctoritate eius familiae detrahitur, quod haud paucis locis vestigia interpolationis apparent: 2,19 *non* (nec), 2,29 *dictis* (verbis), 3,29 *sibi* (pro *tibi,* propter antecedens *duxit),* 3,43 *graviter—loquebar* (leviter—querebar), 4,16 *fallis utrumque* (fallit uterque), 8,15 *arena* (in ora), 8,19 *utere* (ut te), 8,22 *verba loquar* (verba querar), 9,20 *noscere vincla* (vincula nosse), 12,19 *discedere* (=desistere, ex *dissistere),* 13,6 *viam* (moram), 13,36 *quaecunque* (ex *quocunque*=quodcunque), 15,39 *quid* (quis), 17,26 *noto* (choro). 18,20 *amata* (amica), 19,10 *verberat* (venerat), 21,9 *quicunque* (quecunque=quaecunque).

Non nego in quibusdam locis dubitari posse, utrum eos incuriae scribarum an interpolationis studio ascribas itemque erunt, qui nonnulla, quae in vitiis supra posui, pro mutatione consulto facta haberi malint. Sed id non multum refert, dummodo id constet familiam VD prima manu permultis Italorum commentis foedatam esse. De uno tantum loco copiosius videtur disputandum esse, quia B. praeiudicata opinione vitiosam DV lectionem pro genuina ducit:

---

1) *praecurrens* eodem sensu positum puto ut 8,14 *praevehi* = praetervehi. saepissime enim praepositiones *prae* et *praeter* apud poetas permutatas invenies, quod et propter metricas rationes et propter similitudinem quandam notionum *prae* „voraus“ et *praeter* „vorbei an“ fieri arbitror.

2) hanc vocem, quotiens occurrit (2,9. 2,22. 4,13. 6,6. 15,39) a librariis turbari notum est.

3) variari orationis structuram, id est vel indicativum vel coniunctivum post *aspice* usurpari, Lachmannnus ad I 2,9 (p. 9) docet.

4) *discidium* legitimam ac iustam formam esse Madvigius in excursu secundo ad editionem Ciceronis librorum de officiis affixo 1876 p. 799—802 docet, ubi p. 802 Propertii mentionem facit.

8,19. *Ut te felici praevecta Ceraunia remo*
*Accipiat placidis Oricos aequoribus.*

*ut te* AFN, *utere* VD. in scriptura *ut te* maxime id offendit, quod *praevecta* quinto casu pro *praevectam*, quod ad *te* applicandum est, usurpatur. quod qui sermonis latini concinnitatem nullo modo pati dicebant, codicum apicibus prorsus relictis ad coniecturas audacissimas confugerunt, nec tamen locum sanaverunt. Satis est commemorare *„per saeva Ceraunia"*, *„vectam per caerula remo"*, Italorum conamina. magis mihi arridet Heinsii coniectura *post victa*, quia librorum vestigia aliquatenus respicit, qua nisi alii alia excogitaverunt, velut L. Muellerus ex IV 22,12 (=III 22,12 B.) *Peliacae trabis totum iter ipse legas"* emendationem *„post lecta Ceraunia"* elicuit. Et hoc vel simili modo legendum est, siquidem *praevecta* ferri nequit. Sed neque Lachmanni emendatio *vites felici praevecta Ceraunia remo*, nec quod Baehrensius recepit *utere felici praevecta* ullam probabilitatem habent. primum enim offendit, quod pro *praevecta* non participium praesentis positum est, tum obiectum quod dicunt *te* ad *accipiat* aegre suppletur, tum tria vota (sit non aliena, utere praevecta, accipiat Oricos) quasi uno spiritu nec ulla coniunctione addita effundi veri est dissimillimum. sed nobis, antequam locum coniecturis temptemus, imprimis quaerendum videtur, nonne insolens illi vocativi usus Propertio, qui tam multa singularia habet, tribui possit. Et fuerunt, qui *praevecta* defenderent. Hertzbergius, qui in usum Propertii accuratius inquisivit quam plerique recentiorum, in commentario (p. 31) Ovidii locum citat: Met. V 269 et in quaestionibus cap. VI p. 138 de carmine I 11,9 disputans *confisa* non ad *cymba* propter effigurationis (prosopopoeiae) insolitum genus trahit, sed cum accusativo *te* coniungit, quod idem Jacobus in translatione germanica agnoscere videtur, sic ea verba vertens:

Lenktest du lieber, in keckem Vertrauen auf niedliche Ruder,
in dem Lukrinischen See eifrig den winzigen Kahn.

nec minus Brandtius *praevecta* probat, cum dicat vocativum et nominativum non raro locos mutasse ut I 7,24 *ardoris nostri magne poeta iaces* et II 6,20, ubi quintus casus vice primi fungitur *nutritus durae, Romule, lacte lupae.* sed illa potius exempla quaerenda sunt, ubi quintum casum pro quarto ponit poeta, cuius generis est: I 18,31 *resonent mihi Cynthia silvae,* cum Vergilius Ecl. I 5 Amaryllida resonare, et aliis in locis *Italiam conclamare* (A III 523) usurpet. quare, priusquam satis compertum sit, quoad insolens ille vocativi usus apud Propertium eiusque aequales pateat, loci scripturam tangere nolo et DV lectionem *utere* pro figmento Italorum infelici haberi volo.

Sed ad rationem codicum explicandam redeamus. interpolationis quae proposui exempla, quo diligentius considero et cum tradita lectione comparo, eo saepius cogitatio animum subit, si ceteri codices praeter VD mala fortuna amissi essent, neminem in illis familiae VD lectionibus (paucis exceptis, in quibus interpolator longe a vero aberravit) offensurum esse; id autem non propriae stirpis munus est, ut poetam elegantiorem efficiat, sed correctorem spirat, qui quae sibi ab urbana dicendi consuetudine abhorrere viderentur, suo ingenio emendare studuit poetae usu plane neglecto. iam de natura antiqui codicis, ex quo VD derivati sunt, pauca non certis quidem argumentis sed coniectura potius aperire poterimus. exemplar illud, quod libris VD suberat, nonnullas nec tamen ita multas archetypi scripturas melius servaverat, quam parens familiae AF; sed idem ab Italo nescioquo ad normam elegantiae latini sermonis, cui tum plerique studebant, sive in margine sive intra lineas correctum erat, cuius commenta librarii familiae VD partim in ordinem verborum receperunt, partim suis commentis substraverunt. Itaque nisi VD lectiones ita ad ceterorum codicum apices accedunt, ut ad eandem originem referri possint, ne huius quidem familiae auctoritas quidquam valet et cavendum est, ne Itali cuiusdam audacia, quae specie se commendat, fallamur.

### 4. De dissensu classis AF et VD.

At quaeri potest, si ope Neapolitani destituamur, utri classi maior honor habendus sit; quod quamquam nisi unoquoque loco ad calculum vocato diiudicari nequit, tamen in universum comparatis eorum librorum lectionibus apparebit familiam AF [1]) inferiorem esse familia VD.

Atque inferior est f. AF his locis: 1,1 *fecit,* 1,13 *arbore,* 1,22 *placeat,* 2,7 *tua est.,* 3,6 *conscidit,* 6,15 hic versus omissus est, 6,25 *iam,* 7,7 *nec tamen,* 7,17 *sibi,* 8,1 *culpa,* 8,4 deest vocabulum *me.* 8,6 *mane,* 8,7 *ruinas,* 8,22 *tuta,* 8,27 *erat,* 8,38 *amara,* 8,44 *sive,* 8,45 *summos,* 9,32 *necdum,* 10,10 *alterius,* 10,25 *irritatura,* 10,29 *his,* 12,9 *non,* 12,10 *divitis,* 13,5 *forma,* 13,7 *queritis,* 13,16 *in lectis,* 13,28 *adduci,* 14,3. 4 *iam,* 14,19 deest *limen.* 15,7 *chois,* 15,8 *et,* 15,9 *et,* 16,18 *iam,* 16,27 *iacula,* 16,47 *et,* 18,22 *nostris,* 19,22 *abstrat,* 20,1 *nec,* 20,3 *currit,*

[1]) interdum codice F variis mendis inquinato altera propago familiae A solus hanc familiam repraesentat.

20,13 *turbida,* 21,6 *ruis,* 22,7 *et,* 22,10 *ferulis.* praestat autem AF 2,19 *non,* 2,29 *verbis,* 3,29 *tibi,* 3,43 *leviter—querebar,* 4,16 *fallit uterque,* 6,17 *debita,* 6,25 *semper voluit,* 8,15 *in(h)ora,* 8,19 *praevecta,* 8,19 *ut te,* 8,22 *querar,* 9,20 *vincula nosse,* 9,27 *seducere,* 12,4 *veneto,* 12,19 *dissistere,* 13,6 *moram,* 13,36 *quo(d)cunque,* 17,2 *alcionas,* 17,6 *increpat,* 17,26 *choro,* 18,20 *amica,* 19,10 *venerat,* 20,7 *hunc,* 20,11 *semper cupidas,* 21,9 *quecunque.*

Hinc sequitur stirpi VD, quamquam non minus interpolata est quam AF, tamen quia aliquot singulares lectiones praebet et minus librariorum menda traxit, plus auctoritatis vindicandum esse, dummodo interpolationes stirpis VD auxilio Neapolitani a probabilibus emendationibus discernas.

***5. De consensu classis AF et classis VD Neapolitano vel accedente vel discedente.***

In hac tanta lectionum varietate mirum est tam multos locos inveniri, quibus classis AF non solum cum classe VD, sed etiam cum N conspirat, ita ut cunctos libros ex uno exemplari per decursum saeculorum servato haustos esse iam inter omnes constet.[1])

Huc pertinent loci et ab Italis et a plurimis recentioris aetatis criticis mirum quantum vexati, in quibus enumerandis leviores scripturae discrepantias praetermitto: 1,17 *non nullas,* 1,20 *sacra,* 1,25 *et,* 2,9 *quos summittat,* 2,10 *et,* 2,13 *persuadent,* 3,7 *sperare,* 3,16 *sumere et arma manu,* 3,27 *duxit,* 3,39 *perducas,* 4,8 *sinat,* 4,13 *color,* 4,27 *nostri,* 5,3 *meos,* 5,7 *collata,* 5,8 *non solet illa tibi,* 5,9 *forte ruis—nostris,* 6,4 *domos,* 6,6 *dolore,* 6,10 *irato,* 7,16 *quod nolim nostros eviolasse deos,* 7,20 *verus,* 8,7 *fulcire,* 8,13 *atque ego non videam,* 8,15 *patiatur,* 8,21 *de te,* 9,4 *quevis,* 9,6 *queque,* 9,12 *levia,* 9,13 *compone libellos,* 9,23 *faciles,* 9,30 *aufuge,* 9,31 *salices,* 9,32 *possis,* 9,33 *si,* 9,34 *quo pereas,* 10,11 *concedere,* 10,15 *diversos,* 10,23 *ingrata fronte,* 11,1 *et quid,* 11,4 *proxima,* 11,5 *adducere,* 11,6 *et quis,* 11,18 *timetur,* 11,21 *an mihi non maior,* 11,24 *omnia—tempora,* 11,28 *dabunt,* 12,2 *conscia Roma moram,* 12,9 *an quem,* 12,16 *aspersis,* 13,8 *adire,* 13,11 *nec — componet,* 13,13 *hec ego non,* 13,17 *verbis,* 13,19 *diducere,* 13,25 *amantes,* 13,29 *digna et,* 13,34 *utere,* 14,1 *unda,* 14,5 *nemus omne,* 14,22 *relevent,* 14,24 *vel,* 15,29 *multa,* 15,33 *quam tibi ne,* 16,12 *turpior,* 16,13 *has inter,* 16,22 *turpis,* 16,23 *plena,* 16,38 *irato — loco,* 16,38 *tota,* 16,42 *nixa oscula,* 16,46 *et matutinis,* 16,48 *(a)eterna — deferor,* 17,3 *solito,* 17,11 *reponere,* 17,15 *levius,* 18,9 *carmina,* 18,15 *dilectis,* 18,15 *turpia,* 18,17 *parva signa mutato colore,* 18,21 *teneras—umbras,* 18,23 *an tua quod,* 18,24 *foribus,* 18,27 *divini fontes,* 18,30 *ad argutas—aves,* 19,5 *noster,* 19,15 *quarum,* 19,18 *ossa futura meis,* 19,19 *tu viva mea possis,* 19,22 *abstrahat e nostro,* 20,5 *non infra speciem,* 20,11 *cupidas—rapinas,* 10,13 *ne tibi sint duri,* 20,14 *expertos,* 20,31 *cesset,* 20,48 *rapto corpore,* 20,49 *iterat responsa,* 20,52 *visus,* 21,3 *quid nostro gemitu,* 21,5 *servato ut possint,* 21,6 *ne soror,* 22,6 *sit.*

Ex quibus multa quidem Italorum divinatione felici et acumine doctrinaque posteriorum criticorum sanata sunt, in pluribus autem etiamnunc lis sub iudice est. fortasse alias nonnullis harum lectionum medelam afferre licebit; nunc singulorum locorum quaestione praetermissa de ratione, quae inter O et N intercedat, mihi disserendum est.

Dissentit N prima manu ab O: 3,30 *cogerit* O, *cogeret* N. 7,20 *verus* O, *serus* N. 12,9 *an quem* O, *an quae* N. 13,11 *nec—componet* O, *hec—compescet* N. 18,16 *dilectis* O, *delectis* N. 18,19 *ardor* O, *arbor* N. 20,4 *dixerat* O, *dixerit* N. 20,20 *applicuisse* O, *adplicuisse* N. praeterea N et inscriptione primi libri et titulis singulorum carminum caret, atque bis carmina aliter distinguit atque O, nam discrepante consensu ceterorum codicum carmen 21 a carmine 20 separavit et cum carmine 22 copulavit.

---

## III.

## De correctoribus $F^2V^2$.

### *1. $F^2$.*

Jam ad manus illas secundas, quibus codices F et V correcti sunt, accedamus, qua in re eas tantum correcturas enumerabimus, quas disertis verbis ab altera manu sive in contextu verborum sive in margine factas adnotat Baehrensius, eas praetermittemus, in quibus, utra manus correxerit, in medio relinquitur. atque ut a $F^2$ exordiamur, infelici successu alteram manum emendasse apparet ex iis locis, ubi rectum pervertit, aut vitium non sustulit: 9,15 *quod si (quid si* $F^1$ recte), 10,28 *affecto (effecto* $F^1$ recte), 17,19 in margine *rupissent* $F^2$ (*peperissent* $F^1$, sed *sepelissent* NVD recte). bis idem vitium correxit: 2,23 *acquirere* pro *aquirere* intra lineas, *conquirere* recte in margine), 5,3 lacunam trium litterarum a $F^1$ relictam in margine bis supplevit verbis *feros* et *meos* appositis, ex quibus posterius veram lectionem refert. 8,13 $F^2$ *sub sidere* pro *subdire* emendat, sed cum intervallum non sublatum sit, restat, in quo offendas. 1,13 *ab*

[1]) consensum classis AF et VD Baehrensium secuti littera O notamus.

ante *arbore* inserit *(ille etiam Hylaei percussus arbore rami* $F^2$) ut metrum constet, sed praepositio in passiva verbi forma nullum habet locum nec vitium ipsum tangitur. idem fere usu venit 10,7 (*quamvis labentes premeret somnus ocellos* $F^2$) ubi pro vocabulo *mihi* a $F^1$ omisso *tunc* metri restituendi causa $F^2$ suprascripsit. nec 8,45 *subducet* me iudice recte emendatum est pro *subducit,* quod in ceteris codicibus legitur, quamquam in pedestri oratione, logicis rationibus adductus, tempus futurum praeferendum esse putem. At si quis praecedentem versum *(sive dies, seu nox venerit, illa mea est = erit)* vel initium carminis v. 27 (*hic erit, hic iurata manet = manebit*) cum hoc loco composuerit, praesens tempus ad concitatum et gaudio exultantem animum poetae aptissimum esse concedet. felicius quae sequuntur mihi emendata videntur esse: 1,1 *cepit,* 2,23 *amantes,* 3,7 *spirare,* 3,8 *manibus,* 3,30 *cogeret,* 3,33 *compositos — ocellos,* 4,9 *fuerit,* 4,22 *differet,* 5,7 *vagis,* 6,1 *nunc,* 6,6 *colore,* 6,24 *nota,* 6,25 *quem,* 6,31 *tendit,* 7,11 *laudent,* 7,17 *tibi,* 7,20 *serus,* 8,1 *cura,* 8,20 *placidis,* 8,22 *vita,* 8,23 *deficiet,* 8,45 *certos,* 9,19 *tigres,* 9,28 *cedat,* 9,32 *nedum,* 10,2 *conscius,* 10,8 *mediis,* 10,19 *quaecunque,* 10,29 *is,* 11,1 *ecquid,* 11,6 *ecquis;* 11,6 *restat,* 11,11 *teneat,* 12,3 *divisa,* 12,9 *an quae,* 12,19 *mi neque,* 13,7 *perditus,* 13,11 *hec—compescet,* 13,12 *amicus,* 13,16 *iniectis,* 13,22 *pressit,* 13,28 *abduci,* 13,33 *quoniam*[1]), 14,22 *relevant,* 15,35 *iurabas*[2]), 16,12 *secli,* 17,27 versum a $F^1$ praetermissum in margine addidit, item 19,15—17 in mg. addidit. 19,21 *contento (contempto),* 20,21 *heroum.*

Jam vides correctorem $F^2$, quamquam vix quidquam peculiare, praeter 11,1 et 11,6 habet, tamen plurima vitia prioris manus de medio sustulisse et raro in emendando a vero aberrasse. inde a carmine septimo decimo neglegentius egisse videtur; nam nec versus 17,8—11 a $F^1$ omissos adscripsit nec apertas corruptelas velut *bella* pro *vela* 17,3 et *lingua* pro *signa* 17,17 emendavit; antequam autem disputemus, unde illum tam multa et probabilia hausisse verisimile sit, alterum correctorem $V^2$ perscrutemur.

### 2. $V^2$.

Praefatione missa initium capiamus ab iis lectionibus, quas $V^2$ solus integras praebet. 4,8 *sinet* (sinat O), 10,11 *concredere* (concedere O), 13,8 *abire* (adire O), 16,48 *differor* (deferor O), 19,5 *nostris* (noster O), 20,13 *sit durum* (sint duri O), 20,31 *cessat* (cesset O); non procul a vero distant: 4,22 *diferet* (differet), 5,9 *tuis—ausis,* (*tuis—votis* $N^2$, recte mea quidem sententia). 14,22 *relevat* (relevant $F^2$N). praeterea astipulor correctori $V^2$ his locis: 1,5 *docuit castas*[3]), 1,7 *toto anno,* 1,12 *hirsutas,* 2,29 *verbis,* 3,12 *conor,* 3,29 *tibi,* 3,33 *compositos—ocellos,* 3,43 *leviter—querebar,* 4,16 *fallit uterque,* 5,18 *nosse,* 6,6 *colore,* 6,17 *debita,* 6,25 *semper voluit*[3]), 7,1 *dum,* 7,20 *serus,* 8,15 *in ≡ ora,* 8,19 *ut ≡ te,* 9,12 *homero,* 9,31 *silices,* 11,17 *es,* 11,22 *aut,* 12,2 *quod,* 12,4 *veneto,* 12,9 *an quae,* 12,17 *calores,* 13,6 *moram,* 13,9 *hec,* 13,11 *hec—compescet,* 13,33 *tu vero,* 13,34 *limine,* 15,39 *quis,* 16,8 *iacere,* 16,35 *doloris,* 17,2 *halcyonas,* 17,6 *increpat,* 17,18 *optatos,* 18,1 *taciturna,* 18,19 *arbor.* 19,9 *cupidus,* 19,10 *venerat,* 20,36 *roscida.*

His adiungo ea, in quibus $V^2$ nihil aut non multum corrigendo profecit, velut 8,10 *virgiliis* (vergiliis), 12,18 *servitio* (servicio $V^1$), 13,9 *contenti* (contempti $V^1$), 15,5 *hesternos* (esternos $V^1$), 16,9 *dne* $V^2$ (littera *i* supra *n* addita) (dne $V^1$), 18,16 *delectis,* 20,7 *hunc.*

Huc etiam correcturam 9,4 *quovis* pro *quevis* refero, quae non minus languet quam tradita scriptura, postquam in praecedenti versu *puella* positum est. nam non id interest, quamvis puellam vel quovis modo Pontico imperare, sed Pontici fastum amore cuiusdam puellae omnino fractum esse, nec de amore servae, ut *empta modo* interpretes quidam explicant, certum vestigium toto carmine apparet, nec *quaevis* et quod versu sexto sequitur *quaeque* (quocunque modo hoc explicatur)[4]) aptum sensum, qui toti carmini convenit, praebet. cum vero in coniecturis nihil subsidii inveniatur, in lectione codicum acquiescendum, sed hunc versum obelo notandum censeo. vocabulum *contraria,* quod $V^2$ 6,17 in margine adnotat, interpretamentum participii *opposito* esse iudico, quod hoc modo et Burmannus p. 63 (opposito sive contrario) et Jacoby in Anthol. elegiacorum Romanorum p. 59 (opposito id est adverso) interpretatur.

Sed ut $V^2$ summam laudem meretur, quod scripturae vitiis multis sublatis genuinas lectiones plurimis locis honori suo reddidit, ita in gravissimam vituperationem incurrit quod sana ratione non adhibita temere in verba poetae grassatus est et haud paucas interpolationes aut ipse temptavit, aut ab aliis temptata in ordinem verborum intrusit vel in margine adscripsit: 1,19 *subducte*[5]), 2,13 *persudant,*

---

[1]) compendium soluit (*que* = quoniam) ut 21,7 *cesaris* pro *cesis.*

[2]) Baehrensius in notis: F corr. mg. suspicor typographi lapsu signum alterius manus ($F^2$) excidisse.

[3]) ordinem verborum, qui est in AFN, reponit.

[4]) nec si *quaeque puella* jedes Mädchen vertas, nec si *quaeque* pro *et quae* (et qualis) accipias, sensus constat.

[5]) eadem praepositionis *sub* et praefixi *se* confusio 9,27 invenitur (seducere AFN, subducere VD).

*2,14 canent,* 5,15 *tremulis moestus,* 6,14 *noscere,* 6,21 *nunquam,* 6,23 *non nunquam,* 6,32 *aratra,* 7,3 *prisco,* 8,13 *sub sydere,* 8,22 *victa,* 8,38 *amara,* 8,42 *cara,* 9,19 *cuperes,* 11,10 *moveret,* 11,13 *alternis,* 11,17 *perfecta,* 11,28 *ego aut,* 13,26 *ille,* 17,16 *cara,* 17,21 *meos caro,* 18,17 *calore*[1]), 18,22 *nostris,* 19,13 *illuc,* 20,18 *esse,* 20,20 *scapulis,* 20,22 *tempora,* 20,27 *plantis,* 20,52 *rursus,* 21,4 *maxima,* 21,8 *minas,* 21,1 *domus.*

Quibus expositis non iam dubium esse potest, qui locus alteri manui codicis V ($V^2$) in recensione Propertiana tribuendus sit; nimirum cum et ipsa temerarias coniecturas in medium proferat et ab aliis excogitatas in usum suum vertat, nisi cum N et $F^2$ vel altero eorum consentit, in lectionibus eius probandis magna cautio adhibenda est, quippe in quibus saepe verum falso permixtum sit.

Jam ut cognoscamus, quae ratio inter $V^2F^2$ et ceteros libros, imprimis N, intercedat, eos locos, quibus illi aut inter se aut cum ceteris codicibus consentiunt, minutiis quibusdam neglectis subiungam.

$F^2V^2N^2$ 3,7 spirare.
$F^2V^2N$ 3,33 compositos—ocellos. 6,6 colore, 12,9 an quae, 13,11 hec—compescet, 4,22 differet[2]), 14,22 relevant[2]).
$F^2VN$ 6,1 nunc, 8,22 vita, 8,45 certos, 3,30 cogerit[3]), 7,20 serus[3]).
$FV^2N$ 1,7 toto—anno.
$V^2N$ 9,31 silices, 18,16 delectis, 18,19 arbor, 1,12 hirsutas[3]), 2,17 idae et[3]), 5,9 tuis—ausis (tuis—votis $N^2$)[4]).
$V^2$DmgAN 13,34 limine.
$V^2$Dmg 20,20 scapulis.
$V^2$AF 6,21 nunquam, 8,38 amara, 18,22 nostris.
$V^2F^2$ 11,1 ecquid, 11,6 ecquis, 6,23 non nunquam, 8,13 sub s(i)ydere.
$VF^2$D 9,15 quod si, 13,16 iniectis, 13,28 abduci.

Quo iure autem Baehrensius (praef. p. IX) codicem N ex $F^2V^2$ interpolatum esse profitetur, quia N nonnullis locis cum correctoribus illis conspirat, eodem iure etiam AF ex $V^2$ et VD ex $F^2$ interpolatos dicemus. nam NAF consentiunt cum $V^2$ his locis: 1,5. 2,29. 3,29. 3,43. 4,16. 5,18. 6,25. 7,1. 8,15. 8,19. 11,17. 11,22. 12,2. 12,4. 12,17. 13,6. 13,9. 13,33. 15,39. 17,6. 17,18. 19,10. 20,7. 20,36. f. AF non accedente codice N consentit cum $V^2$ 6,21. 8,38. 18,22. nec minus NVD conspirat cum $F^2$: 1,1. 2,23. 4,9. 5,7. 6,25. 7,11. 7,17. 8,1. 8,20. 8,23. 9,28. 10,19. 10,29. 13,7. 16,9; huc accedunt: 9,15. 13,16. 13,28., quibus locis VD soli cum $F^2$ faciunt. quae argumentatio quam absurda sit, patet. sed ne per se ipsum quidem verisimile est codicem N, etiamsi illis noviciis codicibus et correctoribus eorum aetate inferiorem putemus, ex codice a correctoribus $F^2V^2$ interpolato originem duxisse, utpote qui scriptura sui exemplaris contentus semper sibi constet nec usquam aliorum commenta sectetur: immo correctores istos, ut natura interpolatorum fert, modo hinc modo illinc more apium delibavisse et in librum suum lectiones undique contulisse, multo maiorem habet probabilitatem. Ut autem etiam illi loci explicentur, ubi $F^2V^2$ aut soli inter se consentiunt aut alter eorum praeter ceteros libros solus genuinam lectionem servavit, necesse est statuamus librum msc. multis locis potiorem iis qui nobis servati sunt et codici N. maxime affinem illis praesto fuisse, unde tot bonas scripturas hauserunt; sed eundem in margine variis lectionibus et interpolationibus distinctum fuisse verisimile est, quas corrector minus religiosus $V^2$ in ordinem verborum recepit, $F^2$ corrector cautior vitavit. Hac ratione difficultates facillime expediuntur, si in re tam incerta aliquid coniecturis tribuendum est.

---

## IV.

## De codice N.

Neapolitanum ex omnibus, qui aetatem tulerunt, libris integerrimum fontem memoriae Propertianae esse, quamquam a multis viris doctis luculentis exemplis propositis demonstratum est, tamen hoc quoque loco exemplis e primo libro petitis breviter oculis subicere e re duxi, ut comparata omnium librorum scriptura quidnam subsidii in uno quoque codice ad textum Propertii restituendum insit, eo facilius intellegatur. Ac Neapolitanum non prorsus labe scripturae carere primo obtutu apparet; tamen scribendi

---

[1]) ubicunque hoc vocabulum occurrit, librarii in diversas partes, *color* et *calor* scribentes, discedunt. atque hoc loco $V^2$ sequendum esse puto; nam amatorem, qui amorem alio transtulit, puellae antea amatae non parva, sed nulla omnino signa amoris dare vix quisquam neget.

[2]) $V^2$ paulo neglegentius *diferet* et *relevat* exhibet.

[3]) *cogeret* et *serus* V corr. (utrum prima an altera manu, dubium est). idem dicendum de 1,12. 2,17., ubi Baehrensius *N. corr.* adnotat.

[4]) non generalem, sed specialem consensum adesse probe scio.

rationem, quae in eo apparet, ad superiorem aetatem quam reliquorum codicum recedere etiam B. concedit. quibus praemissis ad singula accedamus. verba perverse distincta plerumque alio vitio addito his locis habentur: conglutinantur 20,33 *subvertite* (= sub vertice); divelluntur 5,24 *ne scit* (= nescit), 6,15 *cu vitia* (= convicia), 8,1 *tu ne* (= tune). vocabula singulis litteris vel aucta vel minuta leguntur: aucta 5,23 *poterrit* (poterit), 7,16 *nollim* (nolim), 13,1 *immitabor* (imitabor), 20,24 *frontis* (fontis); minuta: 16,44 *ocultis* (occultis), 18,3 *ocultos* (occultos), 20,3 *ocurrit* (occurrit). uno loco librarius vocem bisyllabam omisit 13,13 *ego* itemque uno loco ordinem verborum transposuit: 19,17 *longe te* (te longe). compendiis scripturae his potissimum usus est: 3,25 *sopno,* 6,15 *cu,* 4,13 *q,* 9,32 et 16,32 *spc* (= spiritus). eadem ratione etiam 5,23 *succurres* (pro *succurrere*) ex compendio non bene perspecto explicandum mihi videtur.

Correcturae eiusdem manus occurrunt: 2,25 *nunc* (ex *non*), 4,19 *nec te* ex *posthec,* quod oculis ad praecedentia aberrantibus natum est, 6 34 *eris* ex *etis,* quod vitium ex similitudine litterarum *r* et *t* ortum esse conicias. 7,11 *placuisse* ex *docuisse* (praecedit in eodem versu *doctae*), 9,16 *insanus* ex *insanis,* 10,16 *tardas* ex *tartas,* 12,17 *calores* ex *colores,* 17,5 *tibi* additum supra lineam, 20,27 *carpaere* ex *corpore* correctum. Haec omnia exempla tam clare prae se ferunt, cur emendata sint, ut interpolatori ea ascribere nequeas.

Altera manus, N², nisi in nominibus propriis, raro occurrit, 2,3 *murrha* (murra N¹), 3,7 *spirare* (sperare N¹) 5,6 *e tota* (e(s)t tota N¹) 5,9 *tuis—votis* (ruis—nostris N¹)[1]) 21,10 *tua* (mea N¹). quodsi ultimam correcturam, quae sine exemplo ab ingenio librarii videtur profecta esse, excipies, reliqua ita comparata sunt, ut veram poetae manum in iis agnoscere non dubitem.

De orthographia, utpote quae in hoc codice propriam originem sibi vindicet, haec adnoto: litterae *e, ae, oe* etiam in hoc libro melioris notae confunduntur: 7,13 *assiduae* (assidue), 19,17 *longe* (longae), 20,27 *carpaere* (carpere), 22,6 *praecipuae* (praecipue); ex nominibus propriis huc pertinent: 2,15 *phaebae* (= phoebe), 13,24 *aethaeis* (= oetaeis) alia.[2]) semel *e* caudatum pro *ae* 20,6 adhibet, semel in eodem vocabulo fluctuat scriptura 13,29 *laede,* 13,30 *lede.* idem fere de littera h dicendum est arbitrio librarii modo inserta modo omissa: 3,38 *ei,* 20,32 *a,* ceteris locis *ah.* nec hic 19,22 „*abstraat*“ pro „*abstrahat*“ praetereundum est, quod evidenter ostendit, quorsus haec licentia pateat. *p* post *m* vitiose intruditur: 3,25. 5,11. 16,22 (sompnus), 4,23. 7,25 (contempnere), 4,25 (dampno). iam ut de litteris *c* et *t* passim inter se confusis nihil dicamus, ad alias levioris generis corruptelas transeamus:

1,22 *mea* (meo), 1,34 *desit* (defit), 3,11 *nundum* (nondum), 3,45 *sapor* (sopor), 5,21 *nostram* (nostrum), 6,12 *amore* amare), 8,27 *erat* (erit), 9,31 *possint* (possunt), 11,15 *amota* (amoto), 12,9 *non* (num), 13,13 *augere* (augure), 13,16 *inlectis* (iniectis), 16,12 *luxiria* (luxuria), 16,18 *iam* (tam), 18,16 *delectis* (deiectis), 18,32 *iacent* (vacent), 19,1 *tristos* (tristes), 20,7 *hunc* (huic)[3]), 20,18 *longo* (longe).

Sed satis de vitiis scripturae dictum est, praestantiam lectionis haec exempla evincunt: 2,3 *murrha,* 11,26 et 19,11 *quicquid,* 8,20 *oryquos;* 3,45 *inpulit,* 5,7 *conlata,* 6,24 *adferat,* 10,2 *adfueram,* 20,20 *adplicuisse,* 22,9 *subposito.*

Praeterea in omnibus fere locis, ubi altera familia AF vel DV (vel eorum correctores F²V²) interpolata est aut singuli codices scripturae vitiis discrepant, Neapolitanus quae vera et genuina archetypi lectio fuerit, aut indicat aut confirmat:

1,1 *cepit,* 1,13 *vulnere,* 2,1 *vita,* 2,19 *nec,* 2,29 *dictis,* 3,6 *concidit,* 3,29 *tibi,* 3,30 *cogeret,* 3,43 *leviter—querebar,* 4,22 *differet,* 6,1 *nunc,* 6,6 *colore,* 6,15 *fatiat cu vitia,* 6,17 *debita,* 7,20 *serus,* 8,6 *nave,* 8,15 *in ora,* 8,19 *ut te,* 8,22 *ego vita,* 8,45 *certos,* 9,15 *quid si,* 9,27 *seducere,* 9,31 *silices,* 9,32 *nedum,* 10,19 *quaecunque,* 10,25 *irritata,* 12,9 *an quae,* 12,17 *calores,* 13,5 *fama,* 13,11 *hec compescet,* 13,12 *amicus,* 14,22 *relevant,* 15,5 *hesternos,* 17,6 *increpat,* 17,26 *choro,* 18,20 *amica,* 19,10 *venerat,* 21,1 *hoc,* 20,7 *hunc,* 22,7 *tu.*

Quae cum ita sint, codex N etiamsi multis scripturae erroribus depravatus est et unus aut alter ceterorum codicum meliorem interdum lectionem exhibet, tamen ob eam causam plurimi aestimandus est, quod ab interpolationibus Italorum maxime integer nunquam gravioribus scripturae corruptelis bonam indolem mutavit, ita ut in dissensione ceterorum librorum ad eius plerumque auctoritatem confugiendum sit.

---

[1]) cur Baehrensius hoc loco secundam manum Neapolitani respuerit et ab ingenio suo subsidium repetere maluerit non intellego.

[2]) 2,22. 3,5. 4,5. 4,6. 6,2. 6,3. 13,22. 13,29. 13,30.

[3]) quamquam Lachmanno iudice (1816 p. 80) non multum refert, utrum scribas *hunc—cupidis rapinis* vel *huic—cupidas rapinas,* tamen hoc praetulerim, quia *cupidas rapinas* in omnibus libris legitur et *huic* facillime in *hunc* abire potuit.

## V.
## De nominibus propriis.

Restat ut in nomina propria inquiram, qua parte disputationis vel imprimis iudicio meo de auctoritate codicum lato pondus accessurum esse puto, cum indoctissimum et neglegentissimum quemque librarium foedissime in N. propria grassatum esse constet. ac primum quidem si leviorum discrepantiarum ratione non habita[1]) familiam AF excutiemus, codicem A multo superiorem esse inveniemus codice F:

1,10 A *yasidos,* F *ysiados* (Jasidos) 11,4 A *miscenis,* F *misteriis* (Misenis)
3,20 A *innachidos,* F *umachidos* (Jnachidos) 13,31 A *inachiis,* F *in hachiis* (Inachiis)
9,11 A *munermi,* F lacuna 8 litterarum (Mimnermi) 17,3 A *casiope,* F *caliope* (Casiope B.). idem ostendunt hae codicis A lectiones: 3,9 *bacho,* 9,5 *chaonie,* 9,10 amphionie, 15,17 esoniden, 15,18 Hypsiphile, 20,6 Thedoramanteo, 20,26 zethus, 20,31 oriothie, ubi quolibet leviore vitio scripturam communis fontis a librario codicis F inquinatam esse apparet. nonnullis tamen locis codicis F lectio praeferenda est. 8,25 *atratiis* F, *a traciis* A, 15,7 *hec ehoyis* F (hec suppunctum), *hec choïs* A (pro eois). huc addo 8,35 *ippodame* F, 13,21 *en ipeo* F, 18,20 *archadio* F, 20,17 *pagasse* F, ita ut altera littera *s* suppuncta sit; sed haec ultimo loco excepto nullius momenti putanda sunt, praesertim cum ea ipsa quoque doceant, quanto propius A ad exemplar commune accedat quam F.

Alterius familiae codicem Vaticanum longe principem locum obtinere multis exemplis confirmatur:

11,4 V *misenis,* D *mysteriis* (Misenis). 20,4 V *minius,* D *minimus* (Minyis).
14,24 V *alcinoi,* D *alcioni* (Alcinoi). 20,8 V *aniena,* D *amoena* (Aniena).

his adiungenda sunt alia levioris generis, quae V emendatiora praebet: 8,25 V *athraciis,* 15,17 *esonidem,* 20,26 *zethes,* 20,34 *thiniasin* (quod in D eodem modo conglutinatis litterarum apicibus *(thimasim)* deformatum est quo 20,8 *amoena*).

Jam vero si familiarum comparationem instituere libet, non est dubium, quin familiae VD priorem locum attribuamus, etiamsi paulo longius abhorret ab N quam classis AF; quod ne quis temere dictum esse iudicet, exemplis comprobemus. atque classis VD scriptura potior est:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 8,35 VD *hippodamie,* | AF *(h)ippod(i)ame.* | 13,21 VD *salmonida,* | AF *sala(o)monida.* |
| 11,4 V *misenis,* | A *miscenis.* | 15,7 VD *eois,* | AF *(hec) chois.* |
| 11,11 VD *teutantis,* | AF *tuetantis.* | 19,10 VD *Thessalis,* | AF *Thessalus.* |

huc accedunt nonnulla alia nomina melius in VD servata: 20,26 *zethes,* 20,31 *orith(y)ie,* cum familia AF duobus locis quantum video sinceriorem scripturam praebeat: 6,4 AF memonias, VD in emonias, 11,3 AF thesproti, VD tespronti. Sequitur ut, quid hac in parte de correctoribus $F^2V^2$ iudicandum sit, exponam.

$F^2$ nihil aut non multum proficit: 1,9. 1,24. 2,16. 9,11. prospere emendat: 2,18 *eveni* (evenit O), 6,4 *memnonias* (memonias $F^1$), 8,35 *ippodamie* (ippodame $F^1$), 13,22 *Tenarius* (Denarius $F^1$), 20,6 *Terodomantheo* (Thedoram anteo $F^1$), 20,31 *orithie* (oriothie $F^1$).

Ea, quae protuli, satis probant correctorem $F^2$ ab audacioribus corruptelarum medelis abhorrentem id tantum spectare, ut vitia scripturae pro virili parte (fortasse alio libro adhibito) emendet. longe aliter de correctore $V^2$ iudicandum est. is solus sinceram poetae manum refert: 8,11 *tyrrhena* (tyrrena O), 11,11 *teutrantis* (ceteri *teutantis,* primus Scaliger *teutrantis* coniecit), 20,26 *zetes,* 20,31 *horithyie* (nempe vera lectio, nisi quod h in initio perverse additum est); cum $N^2$ conspirat 2,17 *idae et* (ida et O); proxime ad eum accedit 1,24 *cytheinis* ($N^2$ cythainis) et 20,4 *minyis* (N miniis). porro cum $N^2F^2$ concordat 2,18 *eveni* (evenit O) et 6,4 *memnonias.* sed idem foedissima commenta exhibet in iis maxime locis, ubi bis verba tradita corrigit: 6,3 *corcyraeos* (quo rhipeos), 8,36 *eleis* (elis), 11,11 *metantis* (teutrantis), 20,4 *nimius* (miniis). orthographiam emendat 6,1. 11,3. 13,24. 15,9. nec non huc pertinet 21,7 ubi compendium *cesis* solvit; nonnunquam autem primam manum corrumpit: 3,2 *gnossia* (gnosia $V^1$), 6,3 *corripheos* (corripeos $V^1$, quo rhipeos N corr.), 6,4 *in hemonias* (in emonias $V^1$), 8,10 *virgiliis* pro *vergiliis* manus primae, 8,36 *aelis* pro *helis* codicis $F^1$ (=Elis).

Eadem igitur hac quoque in parte disputationis sententia de $V^2$ ferenda est, quam supra tulimus; scilicet interpolationes importunissimas emendationibus verissimis admixtas exhibet, et iis imprimis

---

[1]) non respiciuntur *h* modo huc modo illuc illatum, *i* et *y* vel *e* et *ae* confusa, aliae minutiae.

[2]) codicem N et AF ad unum apographon recedere multa probant exempla: 3,9. 9,11 AN; AFN 8,20. 8,25. 8,26. 11,11 13,19. 15,7. 15,9. 18,20. 19,10. 20,6. 20,26. 20,31.

locis, ubi procul a ceterorum codicum scriptura discedit, deliberandum est, utrum lectio eius cum [illegible] vulgatae scripturae conformari possit, an ingenio suo illum indulsisse verisimilius sit.

Restat ut Neapolitanum perscrutemur, qui hoc quoque numero praestantiam suam declarat, nam quae menda et vitia in eo extant, vulgo in libris inveniuntur; nunquam autem tam foedis verborum imaginibus contaminatus est quales in AF et VD eorumque correctoribus obviae fiunt, nunquam ad tam temerarias coniecturas descendit quales exhibet imprimis $V^2$. quare paene tota quaestio de N. propriis ac eius auctoritate pendet atque etiam scribendi ratio in plerisque N. propriis ad normam Neapolitani a praestantissimis poetae iudicibus dirigitur. ac leviora vitia, quibus tamen N nunquam a genuina lectione degeneravit, his locis deprehendas: 2,16 *telaria,* 2,18 *et venit* (quocum comparandum est 15,7 *et chois*)[1], 8,3 *cephia,* 11,11 *teutantis,* 13,21 *salamonida,* 15,15 *Alphisiboea,* 19,10 *Thessalus,* 20,17 *pegase,* 20,26 *zetus,* 20,31 *orithie.*

Scripturam archetypi quamvis corruptam ceteris aut plane conspirantibus aut paulum discordantibus assensu suo confirmat vel indicat: 1,9 *Minalion,* 1,13 *psilli,* 1,24 *citalinis,* 2,17 *ida et,* 6,3 *corripeos,* 8,20 *oryquos,* 8,25 *atraciis,* 8,26 *(h)ileis,* 11,3 *thesproti,* 11,4 *misenis,* 13,24 *(a)eth(a)eis,* 15,19 *Hypsiphile,*[2] 20,17 *pegase,* 20,32 *amadrias hinc,* 20,33 *argant(h)i phege,* 20,34 *thiniasin.*[3] altera manus $N^2$ (N corr.) extat: 1,10 *iasidos,*[4] 1,24 *cythainis,* 2,16 *ilaira,* 6,3 *quo rhipeos;* quae emendationes cum maxime egregiae omnium consensu iudicentur, dolendum est, quod inde a carmine sexto $N^2$ nullas amplius lectiones ex optimo illo libro protulit, unde eas quas commemoravimus hausisse putandus est. atque omnibus libris prima eius manus praestat: 3,4 *andromede,* 9,11 *minnermi,* 13,21 *enipeo,*[5] 20,4 *miniis;* secunda manus: 1,10 *iasidos,* 1,24 *cithainis,* 2,16 *ilaira,* 6,3 *quo rhipeos.*

Quae si recte exposita sunt, non est dubium, quin omnium librorum msc. Neapolitano, quem Lachmannus, quo erat ingenii acumine, e turba ceterorum elegerat, in recensendis Propertii carminibus palma deferenda sit, quippe qui et integritate lectionis insignis et audacia Italorum minime tactus proxime ad exemplar vetustum accedat, unde nostri, qui aetatem tulerunt, codices fluxerunt. libri autem a Baehrensio adhibiti, quamquam cum librariorum incuria tum temeritate interpolatorum plurima vitia per decursum saeculorum traxerunt, tamen haud paucis locis soli rectum servaverunt vel coniectura restituerunt, multis assensu suo fidem Neapolitani confirmant. Quare non prorsus illos abiciendos puto, quae est Friderici Leo sententia, sed cum a N in recensione carminum proficiscendum sit, etiam ex lectionibus familiarum AF et VD consentientium caute adhibitis nonnihil utilitatis ad genuinam scripturam reponendam redundaturum esse persuasum habeo. Nam omnes, qui ad haec tempora devenerunt, libros ex uno eodemque fonte haustos esse consensus in rebus gravissimis plurimus declarat et ne Neapolitanus quidem tantum a ceteris distat, ut ipse per se alteram memoriae stirpem efficiat. Singulorum autem msc. fides quam diversa sit, e quaestione nostra apparet, cuius summam hoc loco breviter complecti et quasi coniunctim in unum conspectum dare liceat. primum igitur classis AF codicem A multo praestare codici F, classis VD librum V longe antecedere librum D, dissensum eorum nihil valere exploratum est. deinde alteram familiam AF, affinitate cum N coniunctam, auctoritate paulo inferiorem esse familia VD, et codicem F in iis libris, ubi A deficit, quia vitiosissime scriptus est et multis locis nihil nisi lectiones codicis N easque corruptas refert, alteri familiae VD longe postponendum esse ex argumentatione nostra elucere iudico. tum correctorem alterum, $F^2$, satis habere vitia traditae scripturae et primae manus pro sua parte coniecturis omnibus repudiatis emendare, alterum $V^2$, cum multa correcta praebeat, et ipsum nova sagacissime excogitare et ab aliis excogitata audacter in textum inculcare; exemplar autem, quo uterque usus sit, Neapolitano cognatum ac non raris locis ab Italo quodam interpolatum fuisse, demonstrasse mihi videor. qua in re si inter illos libros aliam interdum rationem intercedere, quam quae vulgo existimatur, peritis persuasero, fructum laboris mei cepero uberrimum.

---

[1]) *et chois* eodem modo ex *ehois* (pro *eois* littera *h* consuetudine librariorum temere addita) natum esse suspicor ut *et venit* ex *eveni* 2,18 in N ortum est. *ehoyis* etiamnunc F praebet, qui cum A pro *et*, quod N excogitavit, *ec* = *hec* supplevit.

[2]) in hoc nomine bis commemorato prima vice litteram *p* in communi fonte omissam esse NAF indicant; sed illi altera vice rectam nominis formam praebent, F hic quoque vitium retinet.

[3]) haec vel similia in archetypo extitisse videntur.

[4]) $N^2$ (N corr.) contra ceteros libros omnes hoc nomen littera *i* exarat.

[5]) id quamquam non disertis verbis B. affert, tamen ex silentio eius p. 21 et ex Lachmanni notis 1829 p. 93 colligere licet.

---

Compendia scripturae, quae ap. Baehrensium depicta sunt, a typographo propter inopiam typorum non expressa esse hoc uno loco adnotasse satis est.